



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. Quid Avaritia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

quia est species jactantiae, & est cum approbatione peccati & occasio committendi. *Ibid.*

III. Inducens in civitatem novos habitus, & praevidens, quod suo exemplo moralem necessitatem imponat aliis, ut sumptus faciant supra vires, & postea non possint alere quos debent, vel creditoribus non satisfacere, peccat graviter. *Baldel. l. c.*

IV. Exornare se nimium ex animi levitate, vel vanitate, per se tantum est veniale. *Ibid.*

V. Simulare sanctitatem cum voluntate non habendi, mortale esse dicit. *Bald. l. c.*

VI. Simulare improbitatem est peccatum, quia est mendacium & quidem scandalosum, potest esse mortale. Neque id fecerunt Sancti, nisi faciendo id, quod ex se est indifferens, & permittendo ab aliis accipi, ut signum improbitatis, cum tamen nec ex natura sua, nec ex eorum intentione esset tale.

DUBIUM II.

Quid Avaritia?

Resp. I. Est inordinatus appetitus temporarium. Unde ex hoc, & regula supra tradita, de peccato mortali, *resolves sequentes Casus.*

I. Est ipsa ex genere suo venialis.

II. Cum vero eò excrescit, ut ejus causa divinas leges praevaricari non dubites, fit mortalis.

III. Prodigalitas, quæ opponitur avaritiæ, & confi-

consistit in defectu conservandi, & excessu erogandi, est ex genere suo venialis: levior, quam avaritia, quia minus abicit à virtute liberalitatis. Interim mortalis fit, si libetis, & uxori pauperem crees; si impotentem te reddas ad solvenda debita, si profundas bona Ecclesiastica, piis causis obnoxia, v. Less. l. 2. ca. 47. d. 8.

Resp. II. Filia Avaritiæ sunt sequentes.

I. Obduratio cordis, (contra misericordiam) egenis & pauperibus non compatiendo, eos oburgando, debita dure nimis exigendo, quando creditor non est solvendo, &c. Hæc aliquando peccari potest mortaliter, quando præceptum elemosynæ vel charitatis urget & tamen ex tali duritia non subvenitur. Navar. ca. 27. Tol. l. 8. ca. 26. v. *discreta de charitate proximi.*

II. Inquietudo cordis, hoc est, vehemens, & inordinata applicatio mentis ad acquirendas, vel conservandas divitias, cum inani & vano timore, ne non acquirantur vel perdantur. Est mortalis, quando retrahit à spiritualibus, vel aliis, ad quæ ex præcepto gravi obligamur, (v.g. auditione Missæ) vel inducit superfluum timorem, & ex hoc diffidentiam erga Deum. Venialis est, si sit de re bona, sed tempore vel loco indebito; v.g. de familia, messe, vindemia, quando quis est in templo, vel vacandum est Deo, S. Thom. 2. 2. q. 15. a. 5. Regim. l. 2. c. 2. q. 3. Escob.

III. Violentia mortalis est, quando est injusta, & circa materiam gravem.

IV. Fallacia sive dolus in verbis: potest esse mortalis, ratione finis, vel mediolorum.

X 3

V. Fraus,

V. Fraus, siue dolus in facto. Est mortale in genere suo, contingitque multipliciter in contractibus, tam ratione materiæ (v.g. si ea vitium habet, vel non sit qualis existimatur) quam ratione pretii, *Navar. c. 23. Tol. l. 8. c. 47. Ezech.*

VI. Proditio, quæ est deceptio contra fidem datam; aut debitam, in damnum illius: mortalis est ex genere suo. Contingit ferè tripliciter.

1. Circa personas; quomodo Judas Christum, Dalila Sampsonem, prodidit.
2. Circa res, vel immobiles (ut si miles manifestet hosti modum capiendi arcem) vel mobiles, ut si pecuniam, vestem, &c. cuiuspiam absconditam proditori ostendas.
3. Circa secretum; vel sibi commissum revelando, (quod est contra fidelitatem & iustitiam, si quidem promissum fuit; quia est pactum onerosum, ut docet *Card. de Lugo. d. 14. num. 139.* & quidem mortale, si prævidere possit inde secuturum notabile aliorum damnum, vel discordiam; aliàs veniale) vel alienas literas aperiendo, & legendo. Quod postremum si fiat, ideo, ut sciat secreta alterius, est Curiositas; & si sit in re gravi, per se est mortale: quod quia communiter ante apertionem nescitur, communiter esse mortale, docet *Tol. l. 8. cap. 45. Bald. del. l. 3. d. 11. Nav. c. pen. d. 6. de penit. Mol. Laym. l. 3. t. 3. p. 1. cap. 4.* [qui addit, eum, qui dolosè alienas literas aperit, & legit, cum alterius injuria vel damno, crimen falsi committere.] Dixi per se esse mortale; quia per accidens potest esse veniale, vel nullum, si legitima autoritate, justa ex causa fiat, unde *resolunt. in casibus seq.*

I. Lite-

I. Literas alienas aperire, & legere, sæpe non est peccatum, si probabiliter scias, scriptas esse in tuum injustum damnum, vel in injuriam tuam cedere, quam intendas avertere; quia potes tibi consulere. Sic Princeps potest aperire literas, non tantum hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli, ex locis finitimis hostium veniunt. Item ministri publici, quoties bono publico necessarium esse judicant. *Navar. c. 18. Reg. l. 24. n. 60 Escob. Card. de Lugo d. n. 148.*

II. Communiter etiam peccatum non est, si consensus expressus habeatur ejus, à quo, vel ad quem mittuntur, (neque lex specialis vetet. *Card. de Lugo l. c.*) vel tacitus saltem; ut si facias sub ratihabitione, confidens rationabiliter, habitum iri ratum. Ita *Escob. ex Navar. Regim. &c l. c.*

III. Superior Religiosus, literas suorum subditorum, (dummodo non mittantur ad superiorem majorem, vel talem, quem statuta eximant, nec ab eo veniant.) licite aperit, & legit; si ex Religionis statuto, aut consuetudine; si ve ex suspitione probabili, quod mali aliquid contineant, v. *Escob. Peirinum de relig. 2. 1. q. 2. cap. 1. Dian. p. 5 2. 6. R. 55.*

IV. Nec est peccatum, si necesse sit, vel expediat ad injuriam alteri imminentem avertendam; dummodo non plus legatur, quam ad eum finem necesse est. *Card. de Lugo l. c.*

V. Qui aperit & legit, existimans non contineri res magni momenti, venialiter tantum peccat. *Card. de Lugo, l. c.*

VI. Si literas ab alio dilaceratas, & in publicum à domino abjectas, recolligas, & iunctis partibus legas, ex sola curiositate, peccatum veniale est: nullum autem, (per se) si, ut ex illa notitia tibi provideas: quia quod pro delicto habetur, in usum suum convertere licet. *Baldel. in S. Anton. & Rosel. Sylv. Remptio. q. 17. Laym. l. 3. s. 5. t. 3. p. 1. ca. 4. num. 4. Dian. tom. 2. t. 6. m. 1. R. 55* Rectè tamen notat *Laym. l. c.* talem ex curiositate teneri, non manifestare secretum eius contentum si damnum inde cuiuspiam provenire possit, imo (addit) revelans ejusmodi secretum [cujus notitiam etiam justè acquisivit] contra justitiam peccabit, si intelligat, audientes eam notitiam usuros, ad damnum injustè inferendum. *Laym. l. c.*

Dixi I. à domino prosectas: quia si vel ab alio projecta [domino inscio] vel ab ipso meto causa perditæ fuerint, non licet legere.

Dixi II. In locum publicum: quia si in ignem vel fornacem v. g. projectæ sint, ut comburantur, peccas, si extrahas. & legas, v. *Card. de Lugo d. 15. num. 150.*

Dixi III. Per se: quia fieri potest, ut ea contentæ neantur, quorum lectio sit perniciofa.

VII. Qui furtivè scripta alterius secreta, ipso invito legit, peccat. Et 1. quidem peccato curiositatis; etsi faciat animo discendi, & sine suspitione damni. 2. Injustitiæ: quia quisque habet jus secreti in suis scriptis, quæ aliis non vult esse communia. *Navar. cap. 15. Mol. tom. 5. d. 26. m. 2. Regm. l. 24. cap. 6. num. 119.* potestque aliquando esse

esse mortale, si nimirum fiat cum notabili damno: vel alter valde cupiat esse secreta, gravissimeque sit laturus. *Bald. d. 13. v. etiam Card. de Lugol. c.*

VIII. Quicumque secretum violat absque iusta causa, cum alterius damno: vel qui literas alterius injustè, aperit, ex quo damnum alteri sequitur, tenetur ad restitutionem. *Bon. d. 2. de rest. q. 1. l. p. 1. Truh. l. 7. cano. d. 32.*

DUBIUM III.

Quid Luxuria?

Resp. Est appetitus inordinatus venereorum, quorum usus cum ex natura sua institutus sit ad conservationem generis humani, quod est magnum bonum hominum, & externum Dei, proinde qui abutitur, lædit Deum & homines. Est mortalis ex genere suo. *v. supra l. 3. t. 4. ca. 2. & l. 5. c. 1. d. 2.*

Resp. II. Filia Luxuriæ, quæ eam plerumque sequuntur, sunt octo: quatuor ex parte intellectus: & quatuor ex parte voluntatis.

1. Cæcitas mentis: cum quis aded est additus turpitudini, ut de coelestibus non cogitet.

2. Præcipitatio, quâ quis ex eadem causa, sine consilio operatur.

3. Inconsideratio: quando in modo delinquit, inconsideratè agens, quæ statum vel personam dedecent.

Y 7

4. In-